

Heinrich Rahn

Programma, Quo Henricus Rahne/ I.U.D. Prof. & p.t. Decanus itemque Totum Collegium Facultatis Iuridicae In Academia Rostochiensi Ad Inauguralem Disputationem Dn. Hermannii Lembken/ Rostochiensis Die III. instantis mensis Iunii habendam ... invitat : [P.P. sub sigillo Facultatis nostrae. XXIII Maii Anno Salutis M.DC.XLVII.]

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766447855>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



PROGRAMMA,

HENRICUS ^{Quo} Kahne / J. U. D. Prof.
& p. t.

DECANUS,

itemque

TOTUM COLLEGIUM FACULTATIS
JURIDICÆ
In Academia Rostochiensis

Ad

INAUGURALEM DISPUTATIONEM
DN. HERMANNI ZEMBRER
Rostochiensis

Die III. instantis mensis Junij
habendam

MAGNIFICUM DN. RECTOREM
Dnn. Professores, Cives Academicos, ac
Literatos omnes & singulos officiosè atq; amicè
invitat.


✂(o)✂

ROSTOCHII,

Typis Nicolai Kilii, Academia Typogr.
ANNO M. DC. XLVII.



Uemadmodum levitas est, ait eloquentiæ Romanæ parens, inanem aucupari rumorem, & omnes umbras etiam falsæ gloriæ consecrari: sic levis est animi, lucem splendoremq; fugientis, justam gloriam, quæ fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare. Et ianè nullam virtus aliam mercedem laborum pericolorumq; desiderat, præter laudis & gloriæ: quâ quidem detractâ, quid est quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo tantis nos occupationibus exercemus? Certè si animus non traheretur laudis cupiditate; nec tantis laboribus, neq; tot curis vigiliisq; angeretur. Nunc infidet quædam in optimo quoq; virtus, quæ noctes atq; dies animum gloriæ stimulis concitat, non cum vitæ tempore esse dimittendam memoriam nominis nostri, sed posteritati consecrandam. Quænam autem vera laus est, quæ justa gloria? Et illa & hæc duplex est: altera adumbrata, atq; ex populari rumore progenita propagataq; quæ nec iudicio provenit, nec firma perdurat, quam veluti vitium sapiens minimè expetit: altera est solida ac durabilis, quæ ex consensu bonorum producitur. Sicut enim consuetudo sermonis, teste Quintil. consensus est eruditorum: ita consentiens laus bonorum & incorrupta vox benè judicantium de virtute excellenti gloria appellatur. Quam qui sententiis, qui suffragiis adeptus est, is & honestus & honoratus meritò existimatur. Ea, ait Cicero, jucunda laus est, quæ ab his proficiscitur, qui ipsi in laude vivunt. Hæc rectè factorū plerūq; comes est, hæc tanquam imago honestatis à probis viris nō repudianda. Illa verò, quæ se ejus imitatricem esse vult, temeraria atq; inconsiderata, & sæpe vitiorum laudatrix, fama popularis,



laris, simulatione integritatis formam ejus pulchritudinemq; corrumpit: ideoq; ceu species duntaxat gloriae, collecta ex inanissimis splendoris insignibus spernenda, & brevis, fugax atq; caduca aestimanda est. Etenim

*Fluctu magis mobile vulgus
Aurâ tumidum volvit inani.*

Et ad mutationem fortunæ. — *hac ipsâ Scianum diceret horâ
Augustum.*

Thersitem Achillem, Musas mulas, Sannam vel Acheum Salomonem. Sunt tamen qui ejusmodi fucata atq; inanem vulgi laudem appetunt, adulatione conquirunt, de ea gloriantur, eâ delectantur, eâq; suam tegunt aut ornant incitiam, ac optatâ quasi aurâ in hoc opinionis pelago tutò se velificari arbitrantur, cum stulta plebe stultissimi: cum nihil sit vilius, nihil abjectius, nihil magis lubricum, quam à vulgi opinione dependere, & ab ea gloriam petere, Annon vides, ut in scena sibi personas imponant histriones: quàm præclaras, quàm honestas, quàm ad extremam, quàm ad exactissimam formæ diligentiam effictas? Potestne aspectum illarum verum perhibere? Minimè sanè: quia sunt inanes, simulant & imitant decorum, nullus ibi solidus decor: cæterum soluto theatro, sublatisq; personis, unusquisq; quod est, id quoq; videtur. Ita & popularis aura imitatur gloriam, non vera gloria est: non stabilis permanet: sæpius ante vesperam vel mutatur, vel plane exstinguitur, & in fumum resolvitur: nihil in se habet veri, nihil solidi: omnia ibi ficta, omnia simulata. Quo igitur motu, velut in scena atq; ludo, veritatem aucupamur? quo pacto rem tam instabilè amare inducimur? — *Procul absit gloria vulgi.* At, inquit quispiam, quis tam stolidus est, ut lutum auro, rei ipsi imaginem, umbram corpori præferat? Omnes omninò non adumbratam, sed veram gloriam concupi-

A 2 scunt;

scunt; justæ laudis dulcedine omnes movemur: gloriâ omnes ad studia incendimur, jacentq; ea semper, quæ apud quosq; improbantur. Τιμώμενοι γὰρ πάντες ἡδονταὶ βροτῶν: Honore gaudet affici se quilibet, inquit Comicus Græcus. Et vel opifices post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit clypeo Minervæ, verba sunt Ciceronis, cum inscribere non liceret. Quid Philosophi? nonne in his ipsis libris, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt, & eo se nominari ac prædicari volunt. Verùm uti non omnibus concedebatur ire Corinthum: ita nec cuivis ad solum solidæ gloriæ pervenire licet,

Ardua per præceptis gloria vadit iter.

Alios impedit paupertas, ne metam sibi benè propositam attingere queant: qui tamen commiseratione potius digni sunt, quàm vituperio. Alios morbus & ingenii membrorūq; imbecillitas in imis detinet, qui laudandi sunt, quod appetant id, quo potiri nequeunt. Alii deterrentur difficultatibus laborū, inter quos gloriam norunt cre-scere, sicut rosam inter spinas. Hi excusationem nullam merentur: quemadmodum nec illi, omnium pessimi, qui amant quidem gloriam & honores, at propter improbitatem Penelopes connubio frustrati, ancillas, imò scorta sectantur: avidi sunt frugum, & nolunt sementem facere. Voluptatibus corporis, luxui, & ignaviæ, tanquam vinculis Thyrrenis, sese mancipant; iisq; volunt inclarescere, quæ in ignominia barathrum præcipitant. Otio se dedunt turpi, ut præmia virtutis consequantur. Furias depereunt, ut furere desinant. Margaritas in sterquilinio frustra quærent, Ab insania medicinam expectant. Viâ, quæ ducit ad gehennam, cælum petunt. O caliginem cimmeriis tenebris densiorem! Scire debebant voluptuarii illi, quod nihil sit servilius abjectiusq;, quam gulæ
ven-

ventrisq; libidini obnoxium vivere: quod nulla capitalior pestis reperiatur in societate humana, quam voluptas, ex qua, ceu fonte venenato, prodeat, quicquid est in hominum vita scelerum & calamitatum: quod honestati contraria: quod eâ homines capiantur, ut hamo pisces: quod nec tela nec hostes tantum noceant, quantum illapsa animis voluptas. Nossè decebat illos ignavos, & otio diffuentes, quod otiosa vita mater sit nugarum & noverca omnis boni: quod otium omnia mala doceat adolescentes: quod regna & urbes perdat.

Quod nihil sit nequius aut scelestius, quàm tempus, rem scilicet pretiosissimam, somno inertiaq; transigere. Qui enim defides & oscitantes vivunt, non herclè magis vivunt, quàm stolidæ pecudes & meræ beluæ, quippe neq; vivunt, sed spiritum trahunt, sicuti pecora. In quacunq; sunt civitate, eam turbant, quemadmodum pituita ac bilis corpus. Et quo blandius est torporis vitium, eò mortalium vitæ infestius exsurgit. Acumen ingenij hebetat, memoriam debilitat, cujuslibet honestæ rei peritiam abolet: nequitia stabulum est, fomentum criminum, & impudicissimum hominum impudicorum volutabrum. Non illud otium notam⁹, quod viri graves solent collocare in bono negotio. Nam & in otio commodè, tranquillè, & cum dignitate vivitur, dummodo absit illud ignavè. At in desidia contubernio ætas nisi turpiter agi non potest. Inde proverbium: Malo agere malè, quam otiosè vivere, vel quod idem est, segnè otium terere. Quid, quod ignavia plerumq; suadeat sævitiam. Quibus invidet (invidet autem bonis) hos cupit esse perditos. Atq; ut est crudelis, ita quoq; est perfida, infidelis & seditiosa; sese tamen sic infert, ac si esset ipsa simplicitas, cujus simulatione multæ foeditates conteguntur. Quin etiam hoc monstrum ore procax est. Quanto plus enim animus languescit, tantò magis lingua lascivit, argutatur, garrit, & eo majorem ostendit nugigerulum. Atq; adeò primum sibi ipsi, mox aliis hoc vitium est intolerabile. Sibi, quod


desidia æquè est corporis atq; mentis valetudini nocentissi-
ma, & vivi hominis sepultura. Nam cui quod agat institutum
nihil est, hïc si sit, non sit; si valeat, pereat, perinde est. Aliis,
quod segnitiã nihil est arrogantius, & nihil minus ferendum.
Cum enim hujus portenti proprium sit, omnem propellere ex
animo vigorem, pro hoc substituit tumorem, arrogantiam,
superbiloquentiam, certissima otiosorum insignia. Hujus no-
tæ sunt circumforanei quidam, & umbratiles homines, qui
studiorum & fortè pietatis obtentu, ac rancidæ cujusdam sa-
pientiæ professione sibi applaudentes in medios dies dormi-
unt somnium Endymionis, nulli rei idonei, nisi fodiendis,
quod ajunt, carbonibus, aut nebulis diverberandis. Nullus i-
psis dies est negotiosus, omnes festi. Æstate modulantur, hy-
eme saltant. Nimirum in hac saltatione restim egestas ducit.
Si quid etiam occasionis datur, rapaces sunt. Alienã industriã
parta & à se rapta erodunt, prorsus ut fucus, qui ab apibus
collecta alimenta tacitus absumit. Tum deniq; deforme desi-
diæ vitium audet imitari prudentiam & gravitatem. Nam,
cùm virtutes sint quodammodo cunctatrices, desidia, illud fe-
stina lentè, didicisse se jactat; tempestivam videlicet tardi-
tatem cum prudenti celeritate conjunctam præ se fert, & cun-
ctationis assumptã specie se sistit ante oculos multitudinis i-
pso veterno tardior. Neq; pro sapientia sese venditare eru-
bescit, cupresso interim similis. Quid multa? si ipse Hercu-
les terras reviseret ac se inertix dederet, pro heroe & filio
Jovis existeret Sophista impudens & importunus. Commo-
dus, abominandus ille Romanorum dominator, nequaquam
fuit naturã malus: sed postquam ætatulam otio infecit, factus
est osor negotij, & paratus ipsi ad tantas atrocitates aditus.
Cum ergò tot & tam feralia crimina ignaviam progenerare
intelligeret antiquitas, voluit ut diversis panis ejus diritas
expiaretur. Sub Dracone infamia fuit ignavis dicta. Solo-
nis & sequentibus temporibus ultimum supplicium. Qui de-
sidiam,

fidiam sectatus est, ait Nomotheta hic in suis legibus, is accusantibus esto obnoxius. Rhadamantus desidiosos eosdemq; luxuriosos immundis suis commutasse dicitur. Alij ignavis & dissolutis coronas assignabant marcidas, iudices & comites infamiae. Ne sitius prolixiores; ut humanam vitam nihil magis instruit, quam perpetua animorum corporumq; exercitia; sic eam nulla ex omni genere foeditatū plus dehonestat, quam flagitiosissima desidia. Hinc nemo unquam bonus & honestus vitam segnitie transegit. Animadvertit hoc tandem Themistocles, qui adolescens in comotationibus & amoribus lascivis volutabatur: at postquam Miltiades apud Marathonem devicisset Persas, jam nullus offendit ipsum quicquam agentem, praeter decorum. Percontantibus autem unde ita repente esset mutatus? Miltiadis, inquit, tropaeum non patitur me dormire, neq; cessare. Gloriam studium excussit amorem voluptatum, clavum, ut ajunt, clavo. Excussit quoq; cum gloria, tum literatum ardor Eximio Viro DN. HERMANNO Sembler ROSTOCHIENSI, non adulto demum, sed ab incunte aetate, omne voluptatis impurae desiderium; involvit ipsum discendi cupiditas continuis laboribus. Amor Justitiae, quae regina est virtutum, coegit, ut vitam ad virtutem conformaret, ratus cum Socrate, hanc viam ad gloriam esse proximam & compendiarium, si quisq; id agetet, ut qualis haberi vellet, talis esset. Licet pauci ita vivant. Raro enim sunt homines, quod videntur. Plusculi, nescimus quo Metelli fato, existunt boves in quadra argentea, & aeni sub pelle leonis.


Tum recte viris, si curas esse, quod audis

canit Horat. Cuius moniti semper memor dictus HERMANNUS Sembler omnem movit lapidem, ut non alius esset, quam appareret: eaq; amplexus est media, quibus id posset obtinere. Tam in Academiis superioris & inferioris Germaniae aliis, quam in hac patria sua, artibus liberalibus, & cum primis Juris scientiae sedulam navavit operam. Ut ea, quae addidicerat, peregrinatione juvaret, atq; augetet, magnam partem Galliae & Belgicae provincias peragravit: neq; castella, sepulchra, ac ludica alia saltem, more vulgi peregrinantis, lustravit, sed cum Ulyssae mores, leges, & officia populorum, modum vivendi gubernandiq; quam diligentissime perspexit: in quo prudentia dux & lux vitae humanae consistit. Domum reversus putavit, quod fat non sit suum se fecisse officium, si non id fama celebritasq; approbarent. Petiit igitur a Nobis praemium vitae aetatae & exantlatorum laborum, summos in utroq; Jure & Civili & Canonico honores. Honesto huic petito nos quidem deesse nec volumus nec debuimus; verum prius ad examen artis, cum publicum tum privatum, exigendus est, qui dignitatem ambit, quam eam consequi potest. Pugnet necesse est, qui vult corona-

ri. Nam non recti planè, sed perversi animi est, quærere gloriam & nolle pro-
bari. Privato examini se dudum stitit, & talem se præstitit, qualem Candida-
tum frugi, & eruditorum laude dignum decet. Neq; dubitamus, quin eundem
se exhibiturus sit in publico, quod nunc instat, & cujus gratia conscripsit DI-
SPUTATIONEM DE INTERCESSIONE FÆMINARUM. Intercessio seu Fi-
dejussio mulierum infirmata primùm fuit edictis sub Augusto & Claudio CC.
& prohibitum, ne pro viris intercederent; postea Scto Vellejano plenius jus
introducitur, & sancitur, ne pro ullo fæminæ fidem suam obligarent. Nam
sicut moribus civilia officia adempta sunt fœminis & pleraq; ipso jure non va-
lent: ita multò magis adimendum eis fuit officium, in quo non solà opera nu-
dumq; ministerium earum versaretur, sed etiam periculum rei familiaris. Vo-
luit autem Senatus opitulari mulieribus deceptis, non decipientibus. Placuit
eidem sequioris sexus juvare infirmitatem, non calliditatem stabilire. Videbat
enim, quòd facilius mulier se obligaret, quàm donaret. Obligatæ ergò & pro
alio intercedenti succurrendum arbitratus est. Quod quomodo rectè sese ha-
beat, quomodo vel intercessio mulierum consistat, vel infirmetur, luculentius
demonstrat Dn. Candidatus in suâ disputatione, quam ad diem 3. Junij eru-
ditorum ventilationi submitteret, & pro virili defendet. Quocirco Magnificum
Dn. Rectorem, Dnn Professores, & cives Academicos ac literatos, cujuscunq;
sint ordinis, aut status, omnes atq; singulos officiosè rogamus, ut huic ingenij
doctrinæq; contentioni frequentes interesse, verbis pugnantem verbis amicis
vel ipsi exercere & ejus profectus viresq; explorare, aut explorantes alios unâ
cum ipso benevolè audire, atq; benignitate suâ sublevare non graventur. The-
mistocles, antè citatus, ad olympiæ certamen profectus, cum in stadium pro-
cessisset, omnes neglectis certaminibus oculos in ipsum iatenderunt, in eoq;
contemplando diem totum consumserunt, ac Themistoclem cum plausu
& admiratione peregrinis commendarunt. Eâ re vir gloriæ cupidus, dixit fa-
miliaribus, se eo die laborum, quos pro Græcia suscepisset, omnium fructuum
amplissimum reportasse. Quod si etiam Magistratus & cives Reip. hujus lite-
rariæ nostro Candidato dictum diem commodaverint, magno id ille lucro si-
bi ducet, & prædicabit, tanquam gratissimam peractorum studiorum merce-
dem ac perpetuum ad majora invitamentum; non nescius, quod gloriam
parare arduum sit, tueri vero difficilius. P. P. sub sigillo Facultatis
nostræ. XXIII Maij ANNO Salutis
M. D. C. XLVII,







quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 re, sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 dem familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 Anno 1615. vagabundus quidam homo co-
 nueniens Phocam, Palatinum Constanti-
 nopolitensem, & ex familia illustri Graecorum
 jactans, ad jumento intercessionum, quas
 impetraverat, in plurimorum prin-
 cipalium, & civitatibus ingentem pecuniam
 emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 ses, anno 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 dam, ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 am poenam temporalis relegationis in-
 terdixit. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
sequenti num. 41. adducit exem-
plum assumpto nomine Advocati cujus-
dam publicè jactaverat, quem postea
Senatus virgis coedi, & exilio
condemnavit & huc exempla relata à Valers

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nentem suam mutat, & se pro alio suppo-
 nit, ut apud Historicos aliosque scripto-
 rum inter quae notissimum est illud Plau-
 ti in forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut è bello rever-
 sus concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

